

157.

DE
CARIEI ACRIMONIOSAE
EX OSSE IPSO DIAGNOSI
DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA.

AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
IN ACADEMIA LIPSIENSI
PRAESIDE
D. CHRISTIANO FRIDERICO
LVDWIG

PATHOL. P. P. O. SVBSTIT. HIST. NATVR, P. P. EXTRAORD.
FACVLTATIS MEDICAE LIPŞ. ASSESSORE, PRAEFECTVRÆ
LIPŞ. PHYSICO PROVINCIALI RRL.

PRO SVMMIS
IN ARTE MEDICA HONORIBVS

A. D. XX. M. MAII MDCCXCVI

H. L. Q. C.

AD DISPVTANDVM PROPONIT

AUCTOR
FRIDERICVS ERNESTVS ADOLPHVS
TEICHERT

STOLPENA MISNICVS
MEDICINAE BACCALAVREVS.

LIPSIÆ
EX OFFICINA KLAVBARTHIA.

Chirurg.

280,24

997

c. Caries.

CHARLES A. ...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

DE
CARIEI ACRIMONIOSAE EX
OSSE IPSO DIAGNOSI
ADVERSARIA.

• §. I.

De origine cariei Praefatio.

Vt expectationi eorum satisfacerem, qui a medicinae candidato pro gradu disputante cognatam aliquam cum sua scientia et arte materiam expetunt, pro adimplendo meo officio ab eius ratione non alienam seligere tentavi; cariei ossium diuersae ex ipso osse diagnoseos doctrinam exponam, vt pote qui cognouerim veteres et nuperiores de ossium morbis scriptores in hunc errorem incidisse, quod ossa non semper curiosius satis descripserint secundum notas externas, minutissimas adeo, neque attenderint sufficienter ad diuersae cariei causam.

Iam vero expetit primum de cariei origine in vniuersum quaedam praefari atque neminem latere arbitror ad hancce

expositionem haec duo requiri, comparationem nutritionis ossis sani cum ista ossis morboſi, deinde vero hoc ſcire oportet, os conſiderandum eſſe, quemadmodum quamlibet aliam h. c. partem. Itaque quomodo creſcat et generetur os, iam alii nos docuerunt, et demonſtratum eſt per horum obſervationes terreſtrem partem calcaream acido inprimis phosphoreo nuptam interſtitiis telae oſſeae ex ordine interponi per vaſa iſtam partem vehentia, iſtamque particularum adpoſitionem ex naturae legibus turbari non poſſe, ſi perioſteum, quod oſſi ad formationem egregie proſpicit integrum manſerit, neque diploe aut medulla alienata fuerit. Quem ordinem vero turbat quaelibet morbifica cauſa, totius corporis hebetudo, tumor vicinae partis, pus vicinum, ſanguis extra vaſa et quae ſunt his ſimilia, inprimis vero acores. Si vero acritatis alicuius damnum, quod oſſi infert, adcurate cognoſcere ſategimus, neceſſe eſt ſcire, os conſiderari debere, quemadmodum quamlibet aliam partem h. c. mollem. (VAN DER HAAR Verhandelingen te Haarlem. XV. p. I. WEIDMANN de necroſi oſſium. Frfti. ad Moenum 1793. fol.) Compoſitum enim eſt ex omnis generis vaſis, neruis inconſpicuis et fibra propria, quae ex textu celluloso, gelatina et terra calcarea acido phosphoreo nupta fabrefacta eſt. Quodſi igitur acor aliquis in humoribus per vaſa oſſis circumuehitur, fieri poſteſt, vt nerui iſto incitati vaſa prouocent, quae ad reliquam texturam aduehant ipſum ita, vt celluloso textus oſſis atque fibrae propriae terreſtria ſtamina corrumpantur. (VAN DER

DER

DER HAAR I. C. WEIDMANN I. C. P. IO. ERNESTI CHRISTI
 BÜCHNER observationes circa quosdam ossium morbos. Wir-
 ceburgi. 1793. 4.) Hinc ossa ipsique durissimi dentes molles-
 cunt, tument, corroduntur. Quotiescunque igitur talis mu-
 tatio in osse accidit, acor aliquis primaria causa est putanda.
 Acida vero in ossa aperte agere demonstrant observationes ab
 anatomicis cum falis acido institutae, infantes rachitici acido
 multo scatentes et quae sunt reliqua argumenta. Phosphoreum
 acidum inter caetera, quae emolliunt atque destruunt ossa
 primarium esse videtur. (HERISSANT Memoires de l'acad. des
 Sc. FOVRCROY de la Soc. de Medec. a. 1782. 1783. IAEGER Diff.
 inaug. Acidum phosphoricum tanquam morborum quorundam
 causam proponens. Stuttg. 1793. 4.) In omni tali casu nutri-
 tio, quae perpetuo etiam in adultiori homine perdurat, in osse
 laesa est, quod fit, si vel nutritioni inseruientes particulae vitiosae,
 nimis acres, ad suam functionem ineptae iusto maiori in copia
 aduehantur, vel iusto minor numerus particularum terrestrium
 adfertur, vel, quod caput rei est, sorbitionis in nutriendo osse
 praesidium turbatum est. Scilicet sorbitio si turbata est, prae-
 ter particulas, quae debebant per vasa absorbentia, lymphati-
 ca etiam dicuntur, reduci, adhuc per plures aliae particulae
 terreae retrogrediuntur ad diuersa colatoria, quemadmodum a
 multis demonstratum est, ad vias vrinarias e. g. e. f. p. ita, ut
 os rarum fiat atque porosum. Etenim si caries ossa tenet, scien-
 dum est, os ab initio in molliorem contextum abire et parum
 tumere,

tumere, porro succos acrimoniosos aduenire, resolvere fibrarum ossearum terrestrem partem, ex quibus intensiori et praeternaturali sorbitione plures particulae absumuntur ita, vt cellulae atque pori plures exoriantur, quales in exeso i. e. carioso osse conspiciuntur. Quapropter os, quod compactum antea atque solidum erat, spongiosum euadit atque rarum. In carie porro, si ossea substantia mollior atque mitior facta fuerit, vasa laxantur atque maiorem sanguinis copiam admittunt et ita maiora et spatiosiora facta ipsam istam ossium telam ex sede mouent, hac vero acore deleta atque vasis destructis sola vasorum foramina atque cryptae remanent, eodem fere modo, quam si corrosionis artificio anatomici ossa iunioris hominis praeparant, in quibus vasa cera antea replebantur. Hinc ossa aspera fiunt. Multo alia in alia ossis mutatione scilicet in regenerato osse s. callo obseruari, silentio iam praetereo. Namque etiam de imperfecto callo hic sermo multis esse non potest. Sed sunt adhuc aliae mutationes et alterationes in carioli ossis genesi animadvertendae, quas filere non boni esset scriptoris. Praeter id enim, quod os porosum fit, etiam eius velamentum detrahitur, quod ipsa hac ossis porosi superficie tumida afficitur atque ab osse diducitur. Nempe dum pori in summa ossis superficie formantur, primarum laminarum ossearum fibrae ex periostei connubio eiusdemque intercapedinibus extrahuntur: primum enim, quemadmodum iam admonitum est os parum tumet, mox vero carie iam praesente desidet iterum atque

periostei

perioftei vafa iam dilacerata eiusdem ab offe ipfo feparationem
faciliorem reddunt. Immo vix non femper denudatum ad-
paret os et tunc eiusdem decoloratio attenditur. Functione
etenim, qua offis incrementum fit, turbata, os alienum atque
a naturali diuerfum contrahit colorem, atque vel nimis fla-
vescit, vel praeter modum albescit, vel adeo nigrefcit, vel
grifeo atque euanido imbuitur colore. Adeo immo in cariofo
offe nutritio turbata eft, vt fi in iuniori homine caries ad os
accefferit, vniuerfi corporis incrementum infringatur, in
adulto vero affectum os magis minutum maneat; adeo duriffi-
ma offa rarefiunt atque teneriora atque tenuiora efformantur.
Igitur cariofa offa plerumque etiam naturalibus funt leuiora.
Quae particularum offearum imminutio atque subtractio offa ca-
riofo etiam fragilia reddit. Neque hoc mirum eft, forbitione
et inde orta heftica febre permultae nempe particulae terrestres
auferuntur, quod idem etiam per colatoria fieri iam fupra indi-
cauimus. Caeterum vlcera cariofo — cariem enim iure offis vl-
cus adpellarunt — mox maiorem, mox minorem vel nullam
omnino copiam puris alunt, vnde etiam ifta in ficcam et humi-
dam cariem partitiō patet. Quod a corporis constitutione,
acrimoniarum diuerfitate, vicinis partibus, mali tempore e. f. p.
pendet. Sic etiam vlcera cariofo magis vel minus faucia funt.
Ab hac vero puris in vlcere cariofo collectione odor fui gene-
ris foetidiffimus atque fragrans vix abeft, varius pro ipfius
acritatis varietate. Et tale pus fi praeter acritatem ac-
cefferit

cefferit



cesserit ad os aliquod, vna cum hac coniunctim exedere et destruere istud potest. (IACOB VAN LIL Verhandelingen te Rotterdam IV. p. 128.) Porro duas adhuc superioribus animaduersionibus adiecisse iuuabit: exesionem nimirum, quae in osse fit multo magis conspicuam esse, quam in quacunque alia h. c. parte, quoniam os firmum maiorem habet formae stabilitatem atque magis circumscriptum est et quoniam in dura et terrestri substantia exesio, quamuis plerumque magis lenta sit, tamen secure satis penetrat et profundiores sedes quaerit. Namque vis vitalis, atque hoc secundo loco adhuc addendum erat, minor in ossibus efficit, quod omnis corruptio in istis non repente proserpat, sed languide, languidior adhuc, si ab acrimonia spissiori profecta et in adulto progressa fuerit, quod v. g. de scrophulosa valet, promptior ab acrimonia, quae cum febre saepe confociata est et tenellum hominem subito inuehit v. g. variolosa caries,

At enim vero ita cariem enasci vel vno tantum exemplo declarabo. In tibia saepe caries sedem quaerit, quod os etiam oculis facile patet. Hic primum cutis tumet, quod antea monere consulto praetermissimus, et cum hac cellulosus contextus et membrana, qua os contegitur, mox ipsum os vel parum eleuatur ita, vt primae tantum laminae adsurgant, inter quas et sub quibus humoris vitiosi aliqua vel minutissima portio colligitur, quae quoniam acris est, mox disturbat sorbitio- nis leges et modos, exedit atque liquat terrestres particulas at-
que

~~10~~ 9

que sic cariosa tibia gignitur. Plura exempla iam proferre non mei est consilium.

§. 2.

Aetiologici argumenti quaedam.

Causae cariei, quamuis multiplices sint, tamen ad duas classes facile referri possunt, ad externas scilicet et internas. Ad illas pertinent quaelibet violentiae manifestae ab exteriori impetu profectae, vulnus, collisa, ossis a periosteo denudatio, ossis concussio, fractura, fissura in osse, e. l. p. sanguis effusus, ulcera, inflammationes, abscessus, aeris frigidi ad os denudatum accessus, imprudentia medentium malaeque curationes; ad has, quae plerumque potentiores sunt et ad nostrum argumentum proxime spectant, acritates vel in ipso corpore genitae et in vniuerso humorum circulo circumuolutae vel per contagium admotae, vel ex singula h. c. parte e. g. a summa cute ad os aliquod per metastasin promotae atque inclinatae. Quarum acrimoniarum aliae, veluti iam dictum est, ossa protinus infestant, aliae vero diutius silent et sensim tandem ossa exedunt. Istaes autem acrimoniae diuersissimae potestatis in ossa sunt et demonstrabimus paulo inferius, fere vnamquamque alio modo dilacerare, findere, exedere ossa, quatenus quaelibet proprium suum habet acorem. Praeterea quoque non raro exempla extiterunt, acrimoniarum mixtarum et inter se inuicem nuptarum. Quae acrimoniae mixtae, quatenus cau-

B


fae

fae sunt, quaelibet sui generis et naturae cariem progenerans. Neque hoc praetereundum est, constitutionum diuersitates atque aetatum discrimina, morborum combinationes et mutationes causis esse adnumeranda. Quo delictiora enim erant corpora, et quo vehementior humorum orgasmus, quo magis lethiferum aliorum morborum connubium, eo magis ad detrimentum pronae inuentae sunt caeterae causae. Denique ad ossis ipsius texturam, spongiositatem, raritatem, tenuitatem; terminorum amplitudinem, circumscriptionis angustiam, capacitatem, confinia aliorum vicinorum ossium, aut partium mollium v. g. vasorum etc. in cariei aetiologia attendendum est. Haec breuissimis verbis de causis cariei proponere nostri instituti ratio exigere videbatur, cum quibus et ea coniuncta sunt, quae proxima paragrapho proponemus.

§. 3.

De diuersis cariei speciebus.

Vix existimamus lectorem a nobis expectare longam diuersarum partitionum enumerationem atque expositionem, cum nostrum argumentum cariem ab acritate profectam sibi praesertim examinandam sumat. Talis enim labor a nostro scribendi consilio alienus esse debet. Quapropter modo breuem earum catalogum componemus et primarias tantum partitiones adnotabimus, existimantes reliquas lectoribus nostris satis iam cognitae esse. Est igitur caries I. *sanabilis*, *insanabilis*;



lis; II. melioris notae, maligna, carcinomatica, venenosa, spina venenosa nonnullis dicta; III. latens, aperta; IV. recens; antiqua; V. iunioris hominis, senioris hominis; VI. externa, interna s. vlcus medullae ossium v. g. in spina ventosa; VII. partis ossis, totius ossis, (topica) unius ossis et vicini, plurium ossium, totius sceleti in rarissimo casu (vniuersalis); VIII. sicca (Necrosis, sphaecelus ossium), humida, vlcus ossis; IX. a vi externa, ab acrimonia, acrimoniosa, a) syphilitica; b) scorbutica; c) serophulosa; d) arthritica; e) rheumatica; f) variolosa; g) morbillosa; h) a psora s. scabie; i) a transpiratione retropressa; k) a morbo cutaneo retropulso; l) a tineae; m) ab obstructo fluxu menstruo (CHESELDEN tab. 46.) n) ab haemorrhoidibus suppressis; o) a metastasi lactis; (Pvzos.) p) a febre scarlatina (v. d. HAAR) q) a metastasi in vniuersum; X. cum emollitione (caries carnosa) et sine ea; XI. cum tumore et sine tali; XII. cum exfoliatione externa, interna. Reliqua nomina Arthrocaecae, Melicecia, Paedarthrocaecae e. s. p. iam praetereo. (cf. IOACHIM RAVSCHERT de carie ossium Leidae 1756. 4. et CHRISTOPHORVS VLLMANN de carie ossium Marburgi Cattorum 1796. 8.)

§. 4

De cariei ex ipso osse diagnosi.

Triplices diagnoseos cariei indicare oportet fontes, quorum alius ex symptomatibus, alius ex habitu externo ipsius adfectae partis, alius ex osse ipso promanat. Inter signa diagno-

stica iterum alia sunt communia, quae cuilibet cariei speciei competunt, dolor osteocopus scilicet, partis, in qua os carie est adfectum impeditus motus, inflammatoria febris et quae cum hac sunt coniuncta, et quae sunt alia a me iam indicata (§. 1.): alia priuata, peculiari nempe acrimoniae propria, veluti syphiliticae acrimoniae sunt sua symptomata priuata, vel cariei ex acritate morbi cutanei cuiusdam genitae, vel arthritidis e. s. p. Alia signa diagnostica ex habitu externo vitiiati membri desumuntur, ex immutato cutis colore, tumore, ulcere vno maiori vel vlcusculis pluribus, pure et ichore profluente, vlceris odore, carne faucia saepe excrescente, vicini membri dolore et quae sunt reliqua. Iam vero non ignoramus haecce modo commemorata signa praeclarae esse praestantiae atque insignis in arte exercenda vtilitatis, vt iis optima medendi methodus possit adcommodari. Interim tamen adhuc alia superesse videntur, eaque quamuis sint difficilioris indaginis omnium tamen etiam certissima sunt. Intelligimus ea, quae ex osse ipso desumuntur nobisque suppeditant cognitionem status et modi exesionis in osse ipso. Quanquam autem, priusquam exasperatum os non denudatum sit, eiusdem status dignosci nondum possit, atque ab initio morbi ossa plerumque adhuc obiecta sint carnibus atque communibus velaminibus cutaneis vel aliis partibus ita, vt tunc temporis modo istorum signorum fieri possit ad medelam adcommodatio, quae modo antea enumerauimus; attamen tunc fere semper adhuc subtiliori et certa
diagnosi

diagnosi caremus et morbus, qui iam violenter progreditur non satis adcurate semper diiudicatur. Tunc vero vel naturae beneficio tegmina ipsius ossis cariosi abscedunt atque aperiuntur vel per vlcera cutanea siue naturalia opercula iam maiora, iam minora, eiusdem capacitatis etiam frustula ossea eiiciuntur, vel ista loca iam molliora et a subnatis humoribus mitiora chirurgi manu aperienda sunt, atque tunc vel specillo examen vulneris et exesi ossis suspensa manu fieri potest, vel eiecta et exfoliatione separata frustula examini subiiciuntur, vel superficiem etiam totam exesi ossis oculis vsurpare et remoto omni impedimento disquirere oportet. Quapropter cum specilli solius examen fallax atque incertum esse possit, conuenit potius singula frustula cariosa eiecta paulo curiosius inspicere atque ipsam denudatam ossis a carie exesi plagam circumspecte examinare. Iubent quoque chirurgiae magistri longas incisiones facere non solum, vt cariei forma proxime possit examinari, verum quoque, vt pus collectum defluere queat. Praeterea autem atque hoc caput rei est, contendimus, quamlibet acrimoniam corrodere suo modo et peculiari sua acritate ossa ita, vt cuiuslibet cariei acrimoniosae alius sit adspectus et diuersa externa facies. Itaque curiosiorem ipsius plagae cariosae introspectionem ad subtiliorem diagnosin imprimis valere perhibemus atque connabimur hoc sequentibus paragraphis diductius declarare. Iam modo primas ducemus huius doctrinae lineas, posterius absque dubio plura posteros docebunt. Ad hanc

vero ex osse ipso diagnosin praecipue pertinet cariei siue exesio-
nis ratio in vniuersum, lamellarum ordo et compositio, cellu-
larum, pororum, cryptarum, sulcorum, et noui regenerati
quoque ossis ratio et forma. Qua vero in diagnosi, si felices
esse volumus, debemus ante omnia quoque hoc curare, vt
cognoscamus ossis texturam quam adcuratissime in sano corpo-
re, vt commutatae naturae osseae imago eo clarius perspiciat-
tur. Caeterum non negamus reliquorum signorum diagnosti-
corum scrutinium simul adhibendum esse ita, vt omnibus signis
simul sumtis diagnosi fieri queat certissima. Neque — nam
etiam me non monente hoc intelligunt lectores — hoc multis
verbis et longa expositione indiget, de acrimoniosa carie nos
loqui et ad hanc istam diagnosin praesertim commendare.

§. 5.

Ossa carie venerea exesa.

His igitur propositis ad singulas cariei acrimoniosae spe-
cies veniendum est. Ergo quaelibet cariei acrimoniosae spe-
cies suam propriam habet *formam externam*. Quod de ve-
nerea primo loco demonstrare mihi nunc sumo. Praecipuae
eius notae, quibus dignoscitur hae sunt; ab initio lamina ossis
summa cribrosa redditur, quod in cranii ossibus plerumque
omnium optime conspicitur atque tunc temporis quoque tu-
met exterior lamina vix non semper in diuersis vnus adeo ossis
sedibus. Iam vero lamina superiori destructa mala morbi ma-
teries

teries profundiores agit radices et tum in latis, tum in longis ossibus, in illis secundum circumferentiam, in his versus extremitates serpit atque ipsa ita exedit, ut mox plures et iam maiores cellulae conspiciantur, immo maiores lacunae oculis se offerant et nonnunquam seiunctas cryptas forment irregularis figurae, tandem haec caries ossa adeo ipsa perterebrat et vel per diploen transgreditur, vel in longis ossibus ad medullam usque os perforat. Tunc in osse plura loca desident atque depressae foucae vel maiores vel minores adparent, circum quas margines retusi enascuntur. Porro haec caries hoc proprii habet, quod naturae medicatricis auxilio in osse nouus callus frequenter regeneretur mox minori in copia, mox in maiori, si medela nimirum antisiphilitica accesserit, quo fit, ut granulis quasi osseis cerae ad instar repleantur cellularum interstitia, adeo nonnunquam maiora grana et squamae excrescant, quae os irregulariter in vna tantum sede vel in omni circumferentia tegan-
 gant. Haec irregularis nutritionis et nouae consolidationis notae et vestigia in nulla alia specie cariei clarius conspiciuntur, quam in hac. Quae vero partes regenerantur plerumque nec iustam habent formam nec in loco primae formationis et satis apta in sede existunt, neque firmus est et idoneus callus, sed iterum cribrosas superficies et margines irregulares habet. Quod quoque demonstrat, medelam hucusque adhuc semper fuisse imperfectam. Quodsi vero omnis humorum peruersus status per medelam profligatus fuerit, vel solidior
 atque

atque bonus callus antea cariōsa interstitia opplet vel exfoliatio se manifestat atque corruptum os a sana parte seiungit. Quae omnia declarant vlcera venerea in molli parte facile comparari posse cum vlceribus eiusdem acoris cariōsis. Superfedeo vero hanc comparationem diductius exponere, quoniam lectores mei certe naturam istorum vlcerum egregie intelligunt. In hac cariei venereae descriptione consentientes habeo optimos quosque scriptores e. g. TRIOEN (p. 43. et tab. 3.) KNOLLE (de carie ossium venerea Lips. 1763. 4.) LEVELING (de carie cranii militis quondam venerei postea epileptici, tandem apoplexia defuncti. Ingloft. 1774. 4.) A. BONN (*Descriptio thesauri ossium morbosorum Houiani. Amst. 1783. 4. p. 109. seqq.*) WEIDMANN (de necrosi ossium, Frfti, ad Moenum. 1793. fol.) LOEHL (de morbis ossium in genere. Erlangae 1790. 8. p. 16.) Atque similiter quoque icones et figurae de ossibus cariōsis datae eximie inter se conueniunt, quod modo comparatione tabularum CHESELDENII XLI. et XLII. et LEVELINGII cum Weidmanniana Tab. VIII. demonstrabo et quod laudatae hae tabulae meis obiiciunt oculis, idem video in sex caluariis Musei Exc. Praesidis. Idem vero amplius de ossium longorum carie affectorum atque tabulis expressorum facie externa valet. Similiter enim quoque conuenit Tab. XLVIII. Cheseldeniana cum ista Knolliana et nonnullis Bonnianis et Weidmannianis. Et idem de praeparatis ossibus morbofis longis collectionis Exc. Praesidis tenendum est. Neque hoc ignorandum est, in
qui

quibusnam ossibus caries venerea praesertim sedem occupet. Attinet etiam ante omnia monere, tantam esse veneni syphilitici faeuitiam atque vehementiam, vt propemodum nulli ossi parceret, tamen in quibusdam omnium frequentissime resideret. Sunt haec in primis caluariae ossa et maiora et minora, et duriora et subtiliora, praecipue frontale os et quae ipsi sunt contigua, cavitates narium ossea, clauiculae, humeri ossa, tibiae et carpi tarsique ossicula.


§. 6.

Ossa carie scorbutica corrupta.

Haec cariei species rarius adcurate obseruata est, quamuis frequenter absque dubio superueniat iis, qui vel in nauibus maria transcendunt, vel in ergastulis et angustis atque humidis carceribus diu sunt detenti vel in paludosis regionibus et oris degunt. Attamen leguntur etiam apud auctores exempla huius cariei satis euicta et liberata ab omni dubitatione. (cf. PETIT Traité des maladies des os. à Paris 1758. 8. Tom. II. p. 368. Recueil periodique II. 130. LE DRAN Consultations. LIND on the Scurvy. Edinb. 1753. TRIOEN Obseruationes medico chirurgicae p. 46. HOFFMANN vom Scharbock Münster 1782. BONN l. c. p. 113. GHEST (Samml. für pr. Aerzte. II. 32.). Plura testimonia excitare nolo, cum non certus sim, an ab obseruatoribus fidis et rei gnaris sint profecta. Habet vero et haec caries suum characterem peculiarem suas-

C

que



que notas priuatas. Affectus nempe euidenter emollire ossa ipsorumque circumferentiam mox imminuere, mox augere ita, ut talia ossa exsucca modo adpareant, modo leuem aliquam superficiem cariosam monstrant, vel cerea, spongiosa, cartilaginosa et in summa facie foraminulis pertusa oculis se obiciant. Medici atque chirurgi interesset, quod hic modo paucis adiicio verbis, talia ossa recentia vel amputatione separata vel ex cadaueribus exacta oculo armato paulo curiosius inspicere et iterata obseruatione tractare. Iam vero acor scorbuticus nonnunquam, si mala morbi materies potentior fuerit, ossa etiam alia ratione exedit, nimirum ita, ut lamellae plures parallelae in conspectum veniant atque os lamellosum atque perlatum quasi compareat; et si callus succrescit, iste vix non semper eandem habet faciem. Etiam haec caries nulli pepercit ossi, tamen praecipue inuadit maxillas, inferiorem copiosius, quam malae ossa, ossa peluis atque carpi tarsique ossicula. Denique hoc scire oportet, hanc cariem saepe consociatam inueniri cum aliis acrimoniis et inter istas praesertim cum venerea et hanc peculiarem animaduersionem vltimo loco requirit, quod nempe foedus odor hacce cum carie sit copulatus, tamen non adeo intolerabilis, sicuti iste syphiliticae cariei.

§. 7.

De carie scrophulosa.

Haec humanae naturae vicissitudo atque infirmitas iuniorum hominum ossa prae caeteris mulcet et habet quoque suas

notas

notas peculiare. Consociata est cum summa debilitate, emolitione et minuto tumore, superficies talium ossium quasi arenosa est et si vitium hoc acrimoniosum diutius in osse stagnaverit, subtilia reticula cum leui tumore format in ulcerata ossis tela, mox si exfoliatio accedit, quod haud raro fit, granulatim et per rotundas glebas vel per frustula fit, quorum margines sunt obtusi. Praesertim copulata cum rachitica acrimonia versus ossium extrema proserpit atque pone articulos ossa exedit generatque praedarthrocacen. Praeterea cum hac carie osteofarcolis fere semper coniuncta est atque ea propter carnosam cariem iure est nominata hinc non mirum est in aliis sedibus subsidere osseam telam, in aliis inflata parum esse ossa. Videtur in hac specie cum lymphaticis humoribus abundantis acidi copia manifesto esse commixta, et chemicorum erit talia ossa examini diligentiori subiicere. Caeterum de carie scrophulosa leguntur observata apud IACOBVM VAN DER HAAR, l. c. KORTVM (de vitio scrophuloso Lemgouiae 1790.) et WEIDMANN. (l. l.) In primis Weidmannianas figuras et icones Tab. IV. inspicere iuvabit. Praeterea inuenio BENIVENIVM os femoris a carie quasi in farinam redactum descripsisse, quae veteris et egregii medici observatio huc trahenda esse videtur. Adit haec caries praesertim thoracis ossa, affligit quoque extremitates, cranii ossibus frequentius pepercit. Neque id ignorandum est, hanc malam morbi materiem frequenter in condylorum ossium femoris atque tibiae in primis superficies inclinari, quemad-

C 2

modum

modum talia specimina in Exc. Praesidis ossium morbosorum collectione examinaui. Remanere hic observationes plures, non multis verbis monendum est.

§. 8.

Ossa varioloso veneno corrupta.

Ab hac cariei acrimoniosae specie proximus transitus est ad variolosam. Haec si occupauerit os aliquod, etiam singularem imaginem offert. Soler nempe ita immutare naturam ossium, ut tumeant in primis circa articulos et summitates, atque spumosa et pumicosa i. e. multis foraminulis in omni substantia perforata conspiciantur, immo ab interioribus et medullari canali hoc vitium origines saepenumero trahens, quoniam ab interioribus ossa quasi inflata et distenta adparent, spinae ventosae nomen accepit. Videtur haec caries praecipue capitula et summas regiones legere et in ea sede ossis laesi perterebrare ipsum, in qua maxime copiosam substantiam alit. Praeterea ea ossa, quae variolosum vitium tenet, mox in latioribus, mox in magis minutis insulis exesa sunt atque emortua ita, ut profundiora vlcuscula in continua serie nonnunquam in vno osse longo conspiciantur, quae quasi ex vna sede in alteram serpunt et eximiam ossis turpitudinem procreant. Rarius ad insitione prouocatas variolas accedit. Cum aliis acrimoniis haud raro, praesertim cum venerea suum frequenter commiscet virus. Cranii ossa occupauit, etiam maxillam inferiorem, frequentius adit humeri ossa et radios, etiam lum-
borum

borum ossa. Caeterum scire oportet, hanc cariei speciem rarius inueniri nostris temporibus, quae meliori curandi methodo adhibita atque purgantibus suo tempore copiose datis impediunt, quominus variolosa acrimonia decedentibus variolis in ossa inclinetur. Exempla huius ossium teredinis habent BLEGNY (in Zodiaco med. Gell.) SLEVOGT, (Pr. in quo variolarum grassantium malignitas ex carie ossium ab iis excitata per exempla demonstratur. Ienae 1713. CONRAD LVDOV. WALTHER, LE DRAN, Diarium medicum gallicum (Tom. LX. p. 551.) C. G. HVFELAND (von den Blattern.) et DESAVLT (Journal de Chirurgie II.) Alia exempla et testimonia minus certa taceo.

§. 9.

De arthritica carie.

Ossa, quae arthritica caries corripit exsucca plerumque sunt atque arida et colore naturali amisso nec rubicunda sunt, nec flaua, neque alba, sed cinerea potius et grisea. Loculamenta atque cryptae et magnae et multae ab hac cariei forma abesse solent, potius puncta minuta secundum serierum longitudinem posita et striae oculis patent. Haec acrimonia enim, nisi validissima fuerit, lente et leuiter tantum afficit plerumque ossium telam exteriorem atque raro profunde ipsa arrodit. Porro hoc haec caries proprii habet, quod foraminula et striae eiusdem sua materia saepe inueniantur iterum oblitteratae. Conuenire amplius videtur cum ea carie, quae a rheumatismo progenita esse legitur, cuius rei exempla leguntur apud LE DRAN et VOGEL (chirurg. und medicin. Beobachtungen.). Et pauca quoque sunt ossa huic vitio opportuna, cylindracea praecipue,

ante omnia extremitatum inferiorum. Testes huius cariei extiterunt ZACHARIAS VOGEL (l. c.) WEIZ (neue Auszüge I. 163.) ROEDERER (de ossium morbis observationes. Gottinae 1763.) VAN DER HAAR (l. c.) Denique hoc adiiciendum est iis, quae iam a nobis prolata sunt, in arthritide acidi cuiusdam, forsan nondum cogniti abundantiam aliquam in ossibus subesse, quod facile sudore acidum spirante, sedimento urinae acidum continente, medulla ossium fluidiori et arthriticorum adipe demonstratur. Plures cariei acrimoniosae species describere et adcurate distinguere impediatur observationum defectu. Interim tamen quam maxime mihi verosimile esse videtur, et caeteras acritates peculiari forma exedere ossa. Sic audiui nuper ex Nobilissimo Medicinae Candidato FRANKIO, qui nuper Berolinum dereliquerat et cuius amicitiam Exc. Praefidi debeo, EXPERIENT. ZENCKERVM Chirurgiae apud Berolinenses Professore celeberrimum a FONTAINIO, qui Varsoviae artem cum laude facit, cranium carie a plica polonica exesum atque exasperatum dono accepisse, in quo caries ita destruxit exteriorem faciem, ut vermium esu simillimas spiras et serpentinatas circumgyrationes exederit. Videtur haec narratio ad hoc meum argumentum proxime pertinere.

§. 10.

De acrimoniarum mixtarum in osse carioso exploratione.

Tandem ultimo loco quaestio suboritur, num si mixta atque complicata aliqua acrimonia subsit, etiam eius diagnosi ex osse fieri possit. Namque potest, ut vno exemplo tantum utamur, syphilitica caries cum carie scorbutica, scrophulosa, rheumatica, arthritica, variolosa, morbillosa, cum carie a metastasi,

stasi,

stati, a vitio cutaneo e. s. p. consociari. Itaque fatendum est, nos in hac cariei ex acritatum complicatione ortae diagnosi nondum multum profectos esse, interim tamen non negandum est, immo verissimum est, inter duas acritates et in tali acritatum complicatione, vnam praevalentem et potentiolem prae altera ex osse cognosci plerumque posse. Accedit et hoc, varia esse, quae difficilius huius diagnoseos examen adiuuant atque praxi magis adcommodant, sedes mali saepe diuersa, signa diagnostica caetera (§. 4.), causarum scrutinium, remediorum vel iuuantium vel nocentium exploratio. Haec etenim omnia in tali difficilius diagnosi in auxilium vocanda esse, quilibet facile perspiciet. Tale mixtae et ex acritatum complicatione genitae cariei exemplum legi apud PERRELETVM (Diff. de carie ossium Argent. 1770. 4.), plura et accurate consignata hucusque nondum inueni. Neque etiam certus scio, quis acor omnium frequentissime tales complicationes ineat, fortasse scrophulosus et rheumaticus, in vniuersum ii, qui ex haereditario vitio sunt progeniti. Caeterum conuentum plurium acritatum pessimos producere tumores cariosos, me etiam non monente suspicetur is, qui vel vnus tantum acoris syphilitici e. g. vehementiam in homine aegrotante cognouerit. Et non possum non existimare et ipsa hac in acritatum complicatione plura cognosci posse posterorum curiositate et solertia, si, qui ad praegressos morbos attendunt, velint sectionibus pathologicis quoque operam dare atque ossa cariosa adhuc recentia diligenter perlustrare atque examinare.

C o n c l u s i o.

Vix interest multis argumentis huius diagnoseos praestantiam declarare, quae mox et facillime cuique patet. Causam enim si morbi alicuius sciueris, facilius etiam fiet morbi curatio. Causa cognita magis aptus fieri potest medicaminum selectus. Benignissimus porro cariei exitus exfoliatio iure censetur. Haec vero siue externa sit, siue interna, necrosin recentiores hanc appellant, non fit, nisi antea profligata atque deleta fuerit causa acrimoniosa. Itaque haec omnium primum fuganda est, quod non fieri potest, nisi cognita facta fuerit, nisi inuenta sit idonea indicatio et electa sint remedia cuique acritati specifica opponenda. Igitur si venerea caries cellularis, scorbutica lamellosa, scrophulosa arenosa, variolosa pumicosa, arthritica striata fuerit, hac ex osse ipso facta diagnosi, opponemus vel anti-syphiliticam medelam vel aliam cuique acrimoniae aduersariam et facilius et iucundior erit, immo, quod *caput rei est*, certior et promptior curatio. Quapropter nihil, quod adiungi posset prioribus animaduersionibus praeterea habeo, excepta ista adhortatione, velint medici et chirurgi curatius attendere ad hanc diagnosin neque negligere quamlibet opportunitatem, qua ossa et frustula ossium, recentia tum et ex homine adhuc viuento separata, tum sectionibus acquisita, vel maceratione vel exsiccatione praeparata diligenter oculis tractare atque introspicere, ipsis fit potestas atque occasio. Spero enim fore, vt haec doctrina indies possit ad maiorem et vtiliorem in praxi medica adcommodationem deduci.

Chim. 280, 25